



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. VI. Vtrùm infidelitas bene distinguatur in hæresin, iudaismum & paganismum, & qua ratione hæc inter se distinguantur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

quidquid aliquem defectum patitur potest dici malum ac peccatum: hi autem actus in hoc deficiunt, quod fiant à voluntate in se non bona, sed mala propter infidelitatem, atque ita non omnino perfecte, sed aliquo modo male fiunt. Secundò, quia opera, quantumvis in se bona, quæ fiunt à voluntate peccatis inquinata, & in sua iniquatione permanente, ab hac quodammodo inquinantur: sicut contrà quæ fiunt à voluntate caritate informata, ab hac exornantur. Ita aperte docet sub finem capituli, ubi ait: *Disce cum qui non facit opera bona intentione fidei bone, hoc est, eius quæ per dilectionem operatur, totum illud corpus, quod illis velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est plenum nigredine peccatorum.* Vbi alludens ad Matth. 6. v. 23. comparat intentionem siue voluntatem qua operamur oculo, & omnia nostra opera vni corpori, quasi varia eius membra, ait quæ hæc omnia necessarium esse tenebrosa, quantumvis aliàs secundum se videantur esse pulchra, si voluntas lumine fidei per caritatem operantis destituta cæca & tenebrosa sit. Et eundem loquendi modum quidam alij Patres eius sectatores sequuntur. Eadem etiam opera vocant mendacia, quia cum talia appareant quæ hominem iustum ac Deo placentem efficiant, & hoc verè non faciant, quodammodo mentiuntur.

Cur Patres
opera bona
infidelium
vocat mendacia.

51

Ad vltimum argumētum Respondeo; quidquid sit de maiore, siue de sensu illius loci citati ex S. Luca, nego minorem. Nam non omnes infideles sunt idololatræ, ut patet in Iudæis & hæreticis. Secundò, quia non omnes idololatræ omnes suas actiones ad honorem idoli obtulerunt: multi enim hæc de re nunquam cogitarunt. Tertiò, quia, etsi hoc semel fecissent, tamen non sufficeret ut omnes eorum actiones sequentes censerentur ea intentione fieri, sicut ut omnes nostræ actiones verè censeantur fieri ex caritate, non sufficit quod semel intenderimus eas omnes ita facere.

D V B I V M VI.

Utrum infidelitas bene distinguatur in heresim, iudaismum & paganismum; & quæ ratione hæc inter se distinguantur?

52
D. Thomas.

D Thom. 2. 2. q. 10. a. 5. respondet eam rectè ita diuidi, id quæ probat, quia infidelitas consistit in eo quod quis renititur fidei (scilicet contrarium ei credendo.) quod tripliciter fieri potest. Nam infidelis vel renititur Christianæ fidei nullo modo susceptæ, & sic est paganus; vel renititur fidei susceptæ in figuris, & sic est Iudæus, (Iudæi enim dum legem, eiusque ceremonias ac Prophetas suscipiunt, in quibus tamquam in figura nostra fides continetur & prædicatur, etiam nostram fidem in figura suscipiunt;) vel tertiò renititur fidei in clara manifestatione, siue secundum se susceptæ, & sic est hæreticus.

Iudæi nostram
fidem in figura
suscipiunt & profitentur.

53

Est igitur hæc difficultas Primò, quia illa diuisio non videtur continere omnem infidelitatem. Primò, nam turcismus non videtur ad vltimam ex dictis pertinere, cum ex omnibus aliis quid credat. Secundò, quia dubitans de fide ad

nullam ex his videtur pertinere. Tertiò, quia olim inter Iudæos quidam à fide errabant, quibus nulla ex dictis speciebus conueniebat. Quartò, quia infidelitas philosophorum Gentilium qui vnum Deum ex lumine naturæ admittiebant, videtur debere distinguui ab infidelitate eorum qui falsos deos colunt, aut etiam putant nullum esse Deum. Quintò, quia apostasia est infidelitas, & sub nulla ex his speciebus continetur.

Sed dicendum est eam diuisionem esse sufficientem, quatenus directe continet omnes species infidelitatis, quæ hoc statu rerum esse possunt; & quæ olim esse potuerunt, ad aliquam ex dictis possunt reduci.

Ad primum, Respondeo turcismum ad paganismum pertinere, quia Turcæ nullo modo fidem Christianam suscipiunt; & quamvis quædam credant, quæ aut nos credimus, aut Iudæi credunt, ea tamen non credunt ut à Christo dicta, aut quatenus ad nostram aut Iudæorum fidem pertinent, sed quatenus à Mahomete dicta & probata sunt.

Ad secundum, Respondeo dubitationem in fide non pertinere ad certam speciem infidelitatis, sed potius esse instar generis respectu omnium: nam qui dubitat simpliciter an tota nostra fides sit falsa, sit Paganus; qui verò dubitat an iudaismus verior sit quam nostra fides, sit Iudæus; qui verò de paucis articulis dubitat reliquos credens, sit hæreticus. Idem quæ dicendum de apostasia, prout enim apostata vel omnino, vel ex parte à fide deficit, sit aut Paganus, aut Iudæus, aut hæreticus. ex quo patet solutio quinti argumenti.

Vbi Nota, apostasiam propriè significare recessum siue abfistentiam ab aliquo, à verbo ἀποστήμι, id est abfisto. sumitur autem communiter pro recessu à Deo. D. autem Thomas infra qu. 12. art. 1. docet, id tribus modis fieri posse. Primò, deferendo observationem mandatorum Dei, siue eius amicitiam; & sic omnis peccans mortaliter apostatat à Deo. Secundò, deferendo Ordinem sacrum quem quis suscepit, aut Religionem quam professus est. Tertiò, deferendo fidem Catholicam; raro autem in prima significatione sumitur, sæpius in secunda, præsertim quando aliquis Religionem quam professus est deserit; propriissimè autem sumitur in tertia: qui enim fidem deserit omnino à Deo deficit, præsertim si eam omnino deserat, transiendo ad Iudæos vel Turcas, siue Gentes. & hos communiter solemus absolute vocare apostatas, distinguendo eos ab hæreticis, etiam ijs, qui à fide defecerunt, quantumvis hi etiam verè apostatæ sint.

Ad tertium, Respondeo illorum infidelitatem non pertinere ad præsentem fidei statum, atque ita non pertinere etiam directe ad hanc diuisionem: reduci tamen ad heresim, quia illi deficiebant à fide quam pergebant quoad apparentiam profiteri, siue quam protestabantur se integrè profiteri; nam profitebantur se esse veros Iudæos, seque sequi fidem traditam olim Moysi. In eiusmodi autem defectione consistit propriè heresis, ut infra ostendam.

Ad

57 Ad quartum, Respondeo utrorumque infidelitatem tantum materialiter & quoad maiorem aut minorem extensionem distingui, sicut infidelitas haereticorum, quorum vnus plures articulos fidei negat quam alter. Nam vtrique illi Gentiles absolute à fide Christiana totaliter recedunt, quantumvis aliqui in quibusdam obiectis materialibus ei positine non repugnet, v. c. admittendo vnum esse Deum, & similia; hæc tamen non credunt tamquam Christiani, siue ob testimonium Christi etiam quoad eternam apparentiam & professionem: nullo enim modo profitentur se Christianos esse.

58 Secundò, est difficultas in verbis D. Thomæ, præsertim in tertio membro, in quo ad hæresim videtur requirere ut quis deficiat à fide quam semel verè suscepit; & asserere omnem qui ita deficit esse verè & propriè hæreticum, tamen si Iudæus aut Turca fiat. Et ita eum intelligunt Bañez & Caiet. 2. 2. q. 10. a. 5. & probant, quia si talis sit verè baptizatus manet Ecclesiæ subiectus, & potest tamquam hæreticus puniri: ergo est propriè hæreticus; sed hæc consequentia nulla est, quia omnis apostata ab Ecclesia ita puniri potest.

59 Lorca igitur ibidem num. 4. dicit hunc sensum D. Thomæ indignum esse. Et sanè hic modus loquendi repugnat Primò, communi omnium sensui: nec enim solemus vocare tales hæreticos, sed Turcas, aut Iudæos; & verè tales sunt, non minùs quam alij qui numquam fuerunt Christiani; nam vtrique eandem omnino fidem profitentur: à fidei autem professione dicitur quis Iudæus, Turca, aut hæreticus, & ut talis sit omnino impertinens est, quòd antè fuerit Christianus nec ne: sicut ut aliquis iam sit verè Catholicus, sufficit quòd fidem Catholicam integrè verè credat ac profiteatur, & omnino impertinens est an semper talis fuerit, an verò aliquando fuerit Iudæus, Turca vel hæreticus.

Confirmatur, quia filij hæreticorum numquam baptizati, qui iam adulti parentum sequuntur fidem, sunt veri hæretici, etsi fidem Catholicam numquam vlla ratione aut susceperint, aut professi sint. Nam olim Manichæi quantumvis non baptizarentur, tamen à Patribus sunt simpliciter dicti hæretici: & iam Anabaptistæ etiam ante baptismum, quem valde adulti sæpè suscipiunt, simpliciter solent dici hæretici. Item si aliquis Turca aut Iudæus fieret Lutheranus, fieret verè hæreticus, cum tamen numquam fuisset Catholicus.

60 Secundò, ille sensus repugnat apertè ipsi D. Thomæ, q. 12. art. 1. ad 3. vbi docet, apostasiam non sumere speciem ratione termini à quo receditur, sed ratione termini ad quem tenditur, siue in quo sistitur. Cuius ratio est, quia etsi apostasia dicat determinatum terminum à quo (nam omnis apostata à fide Catholica deficit) tamen non dicit determinatum terminum ad quem (nam potest Catholicus deficere vel ad hæreticos, vel ad Iudæos, vel ad Paganos) ideoque ipse docet apostasiam non dicere determinatam speciem infidelitatis; sed circumstantiam aggravatam, quæ potest cuius infidelita-

ti conuenire. quod secundum alios falsum esset, secundum quos omnis apostasia à fide esset hæresis, ut etiam Bañez ibidem admittit.

Probatur Tertio, quia tam Scripturæ quam Patres ut aliquis sit hæreticus, requirunt ut profiteatur se esse Christianum. nam Matt. 7. Christus describens hæreticos vocat eos falsos prophetas venientes sub vestimentis ouium; quia scilicet exteriùs profitentur se docere fidem Christi, ut docet D. Hieron. in hunc locum. Item Apostolus 2. ad Timoth. 3. describens hæreticos, ait eos habere speciem veritatis (quia scilicet exteriùs fidem Christi profitentur) & virtutem eius abnegare. Hinc D. Ambros. lib. 7. in Lucam, Nemo, ait, hæreticorum Christi nomen negat. & D. Gregorius lib. 20. Moral. cap. 9. docet, hæreticos sub nomine Christi contra Christum militare. Ex quibus clarè patet baptizatum abnegantem Christum, eiusque fidem, non incidere in hæresim, sed in iudaismum aut paganismum.

Respondeo igitur cum Lorca suprâ, & Maldero ibidem, D. Thomam dicere eos reniti fidei susceptæ, qui negant aliquem articulum illius fidei, quam actu suscipiunt ac profitentur; sicut hæretici & Iudæi faciunt, qui vel expressè (ut hæretici) vel implicite & in figura (ut Iudæi) profitentur Christianam fidem esse veram eamque suscipiunt, & tamen aliquos ipsius articulos negant.

Sunt igitur ex mente D. Thomæ & communis sensu hæc rationes tres illæ species infidelitatis distinguendæ; quòd paganismus ita recedat à fide Christiana, ut eam nullo modo profiteatur; iudaismus ita, ut eam profiteatur in figura, in se tamen eam neget; hæresis verò eam in se profiteatur, quosdam tamen eius articulos negat. Quòd autem infidelis fuerit aliquando Catholicus, & iam sit apostata, grauat quidem eius infidelitatem, non tamen mutat speciem.

Tertio, est difficultas, vtrum dicta diuisio sit generis in veras species. Caietan. & Bañez suprâ id affirmant. Quia qui fornicatur post professionem castitatis, aut contractum matrimonij, committit peccatum alterius speciei quam is qui voto & matrimonio solutus fornicatur: ergo similiter qui renititur fidei, quam semel professus est, alterius speciei infidelitatem committit, quam alius.

Sed hæc ratio peccat Primò, quia supponit dictas infidelitates per hoc distingui quòd aliquis deficiat à fide quam antea susceperat, aut ab ea quam non susceperat; quam refutari. Secundò, quia supponit suscipientem baptismum emittere verum votum seruandi fidem Catholicam; imò supponit Iudæum idem votum emittere implicite (aliàs exemplum peccantis contra emissum à se votum castitatis nihil faceret ad rem); illud tamen non est verum: nam cum pueri à nobis baptizantur, aut à Iudæis circumcidantur, omnino sunt incapaces emittendi voti. Nec sufficit dicere eos emittere votum per alios, qui eos offerunt baptizandos aut circumcidendos; quia obligatio voti est omnino personalis, nec vllum ligare potest sine ipsius proprio consensu; puer autem baptizatus aut circum-

61 Non est hæreticus qui non profiteatur se Christianum.

Marth. 7.

Hieron.

2. Tim. 3.

Ambros.

Gregorius.

62

Lorca.

Malder.

63

Caietan.

Bañez.

64

Votum nulli ligat sine proprio consensu.

ut aliquis sit Iudæus, Paganus aut hæreticus, spectanda est præfens eius fides, ea que quam antè profitebatur est impertinens.

Qua ratione distinguantur species infidelitatis.

circumcissus nec tunc nec aliis in illud votum consensit, cum illud numquam ipsi venerit in mentem, praesertim quando ante vltimum rationis ad aliam religionem transfertur & in ea educatur, ut contingit quando pueri Christianorum à Turcis rapiuntur & circumcidentur; aut in filijs haereticorum.

65 Tertio, quia, etsi admittamus tale votum, id tamen non inducet diuersam speciem infidelitatis, prout hæc opponitur fidei Catholicae, sed distinctum peccatum contra votum; siue peccatum infidelitatis, prout opponitur fidelitati in seruandis promissis: qua ratione etiam fornicatio contra votum, aut à coniugato facta in ratione luxuriae est eiusdem speciei cum fornicatione soluti; sed habet aliam speciem peccati sibi annexam contra virtutem religionis in priore casu, aut contra iustitiam & reuerentiam Sacramento debitam quando fit à coniugato.

66 Dictam tamen opinionem sequitur etiam Malderus. supra, eamque probat. Quia infidelitas non est spectanda ex eo quod simpliciter fidei contradicat (nam aliàs Christianus qui ex ignorantia inuincibili alicui fidei articulo contradiceret fieret infidelis) sed ex eo quod contradicat fidei per prædicationem propositæ: qui autem vna ratione contradicit fidei, quam alia ratione suscipit siue profiteretur, renititur fidei aliter sibi propositæ, quam is qui contradicit fidei numquam à se suscepit: ergo ille committit diuersam speciem infidelitatem: sicut qui fornicatur contra votum castitatis, committit fornicationem alterius speciei. Confirmatur, quia, ut dicitur ad Galat. 5. omnis qui se circumcidit fit debitor vniuersæ legis seruandæ: ergo omnis qui aliqua ratione profiteretur fidem, singulariter obligatur eam totam credere.

67 Sed ne hoc argumentum quidquam probat; nam Primò, minor est falsa: nam Turcæ aut Iudæo longo tempore inter Christianos conuersanti potest nostra fides tam esse proposita ac nota quam haeretico, imò sæpè magis. Item siue Christianus deficiat ad hæresim, siue ad iudaismum, siue ad turcismum, renititur fidei eodem modo sibi prædicatæ: & tamen non incidit in eandem infidelitatem, ut etiam Malderus fatetur. Secundò, neganda est consequentia: quia ex antecedente solum sequitur quod vnus grauius altero peccet: sicut quando duo in eandem hæresim incidunt, quorum vnus longè maiorem fidei cognitionem habet quam alter, prior deficit à fide alter sibi proposita ac cognita, & tamen non committit infidelitatem diuersæ speciei, sed grauiorem.

Exemplum autem de fornicante contra votum castitatis nihil facit ad rem, tum quia in fidei professione non reperitur tale votum; tum etiam quia, etsi hic esset tale votum, tamen non adderet infidelitati nouam malitiam contra fidem, sed contra virtutem fidelitatis in seruandis Deo promissis.

68 Ad confirmationem Respondeo Primò, si aliquid probaret, probaret omnem infidelitatem baptizati esse eiusdem rationis, quia baptismus propriè respondet circumcisioni, & per eum eius-

modi obligatio maximè contrahitur.

Respondeo Secundò, Apostolum ad Galatas non velle omnem se circumcidentem verè obligari obseruare omnem legem veterem; (hoc enim aperte cum veritate, & Apostoli doctrina tota illa epistola pugnat; & aliàs Iudæi baptizati aut Christiani facti tenerentur totam legem Moysi obseruare; quod absurdissimum est;) sed solum velle eos ad hoc obligari ex conscientia erronea, siue ex falsa suppositione, qua putabant se obligari circumcidi: nam posito quod lex eos obligaret ad circumcisionem, etiam obligaret ad integram sui obseruationem.

Quare cum Lorca supra num. 8. & Turriano disp. 50. dub. 4. & alijs Respondeo eam dissolutionem non esse generis in species propriè dictis, sed lato modo, & secundum quandam moralem æstimationem ac similitudinem cum veris speciebus; quia, ut ostendi, nullum est fundamentum dicendi contrarium.

Nota tamen, cum omnis negatio fidei continet aliquam blasphemiam in Deum & fidem, prout diuersi articuli negantur, ita committi diuersas blasphemias etiam specie differentes, & grauiores aut leuiore, prout articuli, qui directe negantur, magis minusve ad Dei diuinitatem & honorem spectant. v. c. qui negat Christum aut secundum personam esse verè Deum, grauius blasphematur, & peccato alterius speciei, quam qui solum dicit non esse septem Sacramenta, aut non esse Purgatorium, quia illud longè alia ratione Deo est iniuriosum. Quare cum dictæ species infidelitatis diuersos fidei articulos negent, in confessione explicandæ sunt, quando quis post baptismum in eas incidit. Imò idem dicendum quando quis in diuersas hæreses, aut in diuersum paganismum incidit: grauius enim est Christianum fieri omnino atheum, aut colere idola, quam abnegata solum fide Christiana pergere colere vnum Deum.

Quartò, demum hic est difficultas, quam ex dictis infidelitatibus sit peior. D. Thom. 2. 2. qu. 10. a. 6. respondet infidelitatem dupliciter posse considerari. Primò, ex modo renitendi fidei; Secundò, ex parte materiæ siue articulo-
rum quos negat. Docetque ex priore capite pessimam esse hæresim: quia renititur fidei susceptæ, siue ei quam ipse haereticus profiteretur. Et hac etiam ex parte docet, iudaismum peiorem esse paganismo. Contrà verò ex secundo capite docet, paganismum esse pessimū, quia plurimos articulos fidei negat, & secundo loco iudaismum, tertio hæresim. Denique addit hæresim absolutè debere dici pessimam infidelitatem. At stipulatur his D. Chrysost. hom. 50. ad populum Antioch. paulò post initium, ubi loquens de ijs, qui dicunt se Christianos, & tamen negant futuram vitam, ait: Numquam talem Christianum dicam, sed potius Gentilibus peiorem. Idem aliqui etiam probant ex S. August. lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 25. ubi ait: Cum peior utique sit desertor fidei, & ex deserto oppugnator eius effectus; quam ille qui numquam deseruit (scilicet fidem) quam nunquam suscepit. Sed hic locus non probat directè intentum: nam D. August. ibi non comparat hære-

hæreticum Pagano, sed hæreticum qui aliquando fuit Catholicus, cum alio hæretico qui numquam fuit Catholicus. Ratio tamen eius generatim probat, hæreticum à fide apostatam, peiorem esse Pagano non apostata.

71. Quia ratione hæretici sunt peiores alijs infidelibus. Dicta tamen sententia probatur. Primò, quia maiorem nobis facit iniuriam, qui simulans se nobis amicum nos oppugnat, quam qui apertè fatetur se nobis esse hostem. Item qui exterius proficitur se militem alicuius principis, & sub eius signis latitans, ut docet D. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 9. sub Christi nomine contra Christum militant: ergo grauius in eum peccant, quam ij qui apertè fatentur se non esse Christianos. Vnde etiam in eos optimè conuenit illa querela Davidis in persona Christi psalm. 54. *Quoniam si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem utique; & si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, &c.*

72. Secundò, quia cum hæretici continuò sacram Scripturam voluant, & mysteria fidei seruentur, & eorum veram cognitionem profiteantur, eorum error in fide est communiter magis voluntarius ac inexcusabilis, quia errant in re, quam dicunt sibi perfectè notam; & alijs verbis expressè negant id, quod alijs implicite proficitur esse verum: nam dum fatentur totam Christi doctrinam esse veram, implicite etiam fatentur eam esse veram quam negant. Et hanc rationem insinuat D. Chrysost. suprà. vbi cum dixisset talem esse infideli peiorem, subdit: *In quos in hoc quòd Christum putant esse Deum ei non credit tamquam Deo. Impietas enim illa, (scilicet Paganorum) quandam habet consequentiam (id est, non ita vno modo negat, quod alio concedit) qui namque Christum Deum esse non credit, hunc nec illi credere necesse est; hæc autem impietas (scilicet hæreticorum) neque consequentiam habet, Deum confiteri, & in his quæ dicit, eum fide dignum non censere.*

73. Tertiò, quia hæretici communiter ferè sunt à fide apostatæ, quia vel aliquando fuerunt simpliciter Catholici, vel saltem communiter baptizati sunt, atque ita in militiam Christi ut veri eius milites inscripti verum militiæ Christianæ signum siue sacramentum susceperunt; quare à fide contra susceptum sacramentum deficientes, longè peiores sunt alijs qui numquam fidei sacramentum susceperunt: ut docent non modò D. August. lib. 21. de Ciuit. cap. 25. suprà citatus, sed etiam D. Petrus epist. 2. c. 2. vbi de ijs ait: *Facta sunt eis posteriora deteriora prioribus; melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum reuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.*

Hæc vltima tamen ratio, atque etiam magna ex parte secunda conuenit etiam in eos, qui à

nostra fide ad Iudæos aut Turcas deficiunt, quare hi ceteris paribus peiores sunt hæreticis; quia magis à Deo deficiunt.

D V B I V M VII.

In qua propriè consistat hæresis, siue quam requirantur ut aliquis sit verè hæreticus?

Nota nomen hæresis ex sua prima origine siue institutione significare electionem, à verbo *αἰρέω*, id est eligo. Vnde deinde derivatum est ad significandam quamvis opinionem in quavis disciplina; quam aliqui subsequendam eligeant; quæ dicebatur secta, quia eam aliqui sequebantur, & hæresis, eò quòd hi eam sibi sequendam præ alijs eligeant: quæ ratione olim alia fuit secta siue hæresis Peripateticorum, alia Stoicorum, &c. Sed apud Ecclesiasticos scriptores hæresis ferè in malam partem accipitur pro errore in fide, quem aliqui sectandum sibi deligunt. Quare fides Catholica ex duplici capite nequit dici hæresis. Primò, quia non continet errorem. Secundò, quia in ea non eligimus quid nobis sit sequendū siue credendum (prout hæretici faciunt qui suo iudicio sibi deligunt quæ credant aut non credant) sed ea credimus quæ Deus nobis per Ecclesiam proponit credenda. Hic igitur de hæresi in hac vltima significatione accepta disputamus; quæ varijs variè definiunt, & quæ conditiones ad eam requiruntur inter se dissentiant: de quibus nobis etiam disputandum est. Prius tamen ponemus eas conditiones, de quibus inter omnes conuenit, aut quasi iam suprà ostendit ad hæresim requiri, aut non requiri; & deinde eas explicabimus, de quibus dubitatur.

Constat igitur inter omnes Primò, ad hæresim requiri aliquem errorem in fide; ut patet ex dictis & communi hominum sensu: eos enim solos vocamus iam hæreticos, qui in fide errant. Secundò, hunc errorem debere aliquo modo esse voluntarium, siue vincibilem: nam qui inuincibiliter errat, nec fidem amittit, nec hæreticus dici potest, ut ex dicendis etiam clariùs constabit. Et ratio est, quia sicut fides non consistit in solo intellectu, sed etiam in voluntate (volentes enim credimus): ita hæresis ei opposita etiam ex parte in voluntate consistit, diciturque errorem voluntarium.

Tertiò, hunc errorem debere esse pertinacem: nemo enim est verè hæreticus nisi in suo errore sit pertinax. Patet Primò, ex D. August. qui epist. 162. initio explicans illud Apostoli ad Titum 3. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correctionē deuota, sciens quia subuersus est eiusmodi; ait: Sed qui sententiam suam quamuis falsam atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, &c. parati corrigi cum inuenerint (scilicet veritatem) nequaquam sunt inter hæreticos computandi.* Item contra Manichæos citatus c. Qui in Ecclesia, 24. qu. 3. ait: *Qui in Ecclesia morbidum aliquid prauumque, quid sapiunt, si correcti ut sanum rectumque sapiant, resistent contumaciter, suag. pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare per-*

74. Quid hæresis apud profanos significet.

Quid apud Ecclesiasticos.

75. Quæ requirantur ad hæresim.

76. August. Titum 3.

c. Qui in Ecclesia.